

proportionata ad videndum Deum, alias potest dici, quod nos modo habemus facultatem proximam ad videndum Deum, et imo et damnati habent illam, quia habent potentiam obedientialem, quæ congenita est cum ipsa natura, ergo si potentia obedientialis sufficit cum concursu divino ad videndum Deum, licet in se non recipiat aliam virtutem, quilibet intellectus ex natura sua habet facultatem congenitam sufficientem ad videndum Deum, quantum est ex parte virtutis in genere causæ secundæ requisitæ. Consequentia patet, quia illa assistentia extrinseca Dei, vel concursus, aut addunt aliquam virtutem super istam potentiam obedientialem, qua reddant illam proportionatam ad visionem, et connaturaliter sibi debitum concursum supernaturalem, qualem Deus modo dat intellectui beati, vel non. Si non dat talem virtutem, ergo intellectus eliciens illam visionem, eliciet illam cum sola virtute, quam antea habebat, si quidem non additur nova virtus, et consequenter jam ante talem concursum, et assistentiam Dei extrinsecam habebat virtutem sufficientem et proportionatam ad videndum Deum, si quidem sine additione novæ virtutis de facto elicit, et sic simpliciter non indiget creatura lumine elevante ad videndum Deum, si quidem sine illo, et antecederet ad illud potest absolute videre in tali casu. Vel dicitur videre Deum sine facultate ad talem visionem, quod est incidere in implicationem assignatam, quod eliciatur visio sine facultate ad videndum. Si vero per illam assistentiam extrinsecam, et concursum crescit virtus obedientialis, ita quod elevetur, et fit proportionata, cum antea non esset nisi elevabilis, hoc ipsum est, quod nos dicimus, sed tamen non erit sola assistentia extrinseca, sed etiam aliquid intrinsecum po-

net in tali potentia, et intellectu.

XII. Nec potest dici, quod illa potentia redditur virtuosior, et elevatior extrinsece, non intrinsece, et posita extrinseca assistentia redditur sine dubio magis proportionata, et perfecta extrinsece, licet connaturalius id fiat per impressionem alicujus virtutis intrinsece receptæ. Et in hoc sensu potest dici quod illa potentia obedientialis est partialis, quia de se habet activitatem ad influendum in actum illum, ut vitalis est, licet requirat partialem influxum Dei quantum ad supernaturalitatem actus, qui quidem influxus connaturaliori modo fit imprimendo aliquid intra intellectum per modum luminis, et habitus, absolute tamen non est impossibile quod sine tali virtute impressa per solam extrinsecam assistentiam Dei fiat ille influxus. Sed contra hoc est. Quia simpliciter fatendum est ex fide, non esse in homine facultatem intrinsecam sufficientem ad eliciendum actus supernaturales, et multo minus visionem Dei, ex ratione autem naturalis constat, quod extrinseca assistentia, et conjunctio alterius causæ, si non ponit aliquid intrinsecum in eo cui conjungitur, non potest præbere illi facultatem necessario requisitam ad eliciendum actum, ergo semper stat implicatio posita quod sine facultate ad operandum elicitur operatio. Major est certa et colligitur, tum ex Concilio Viennensi sæpe citato dicente, quod anima non est naturaliter beata, sed indiget lumine elevante, ergo ex natura sua, et sine elevatione non potest actum beatificum elicere, sed caret facultate ad illum; tum ex Concilio Tridentino, sess. VI, can. VI, ubi definitur: « Si quis dixerit sine proveniente Spiritu Sancti adjutorio posse hominem credere, sperare, diligere, sicut oportet, anathema sit. » Ubi aperte

loquitur Concilium de facultate ad eliciendum istos actus supernaturales, sicut ad justificationem requiritur, et dicit sine adjutorio Spiritus Sancti non posse hominem illos elicere; quod non potest intelligi dicendo, quod non potest sine illo tamquam sine concursu partiali extrinseco, nam hoc modo etiam ignis sine Dei concursu non potest calefacere: constat autem quod hoc non obstante simpliciter, dicimus, quod ignis potest calefacere, scilicet potestate sui generis, et tamquam causa secunda. Concilium autem aliquid amplius negat homini, quod sine adjutorio Dei non possit, quam concedatur igni, qui tamen etiam sine concursu Dei non potest absolute comburere, eo quod est potestas ejus dependens ab extrinseco, tamen quia in suo ordine et genere habet sufficientem virtutem ad comburendum, dicitur absolute posse comburere, et hominem posse intelligere et videre, etc. At vero sine speciali et supernaturali Spiritus Sancti adjutorio dicitur hominem non posse, etc. Ergo homo secundum se caret facultate et potentia proxima, seu virtute ad illa opera. Solus autem concursus Dei simultaneus in actum non dat illi posse, quia iste concursus datur juxta exigentiam potentiæ et virtutis, si quidem est cooperans et simul influens in effectum cum causa creata, ergo supponit in causa creata esse virtutem et potentiam ad cooperandum, alias non daretur ut cooperans illi, sed ut constituens eam in virtute operandi. Ergo requiritur necessario adjutorium dans posse et dans virtutem. Minor vero probatur, quia visio seu actus debet egredi ab intellectu, sicut quilibet alius effectus, vel actio a sua causa, non potest autem egredi ratione virtutis et facultatis, quæ in ea intrinsece non reperitur, sed extra illam manet, quia ab eo quod manet ex-

tra non egreditur actus, sed ab intellectu totus egreditur, et secundum omnia quæ in se habet, quia effectus seu actus totum quo nascitur ab agente accipit et derivat, ergo cum actus ille egrediatur non solum ut vitalis, sed etiam ut supernaturalis, ratione cujus exigit in eo a quo procedat elevationem virtutem quam naturalem vel obedientialem, quæ solum elevabilis est, non proportionata et elevata facultas, necesse est quod sola extrinseca assistentia Dei non sufficiat, quia hæc sola assistentia non est virtus a quo egreditur actus, si quidem solum vitaliter paritur et egreditur, ergo solum a principio intrinseco vitali, ergo in eo et non in aliquo extrinseco supponit virtutem, quia ab ipso intellectu debet egredi actus ut supernaturalis, tamquam a vitali et intrinseco principio pariente; habere autem vitalitatem ab intellectu, et supernaturalitatem a Deo nec intelligi potest; sic enim intellectus formaliter non videret Deum in se, quia non attingit Deum in se nisi per illam visionem ut supernaturalis est, ergo si ut supernaturalis non egreditur ab intellectu, ut attingit Deum non egreditur ab intellectu, et si non egreditur, non videt per illam intellectus quatenus non egreditur a se.

XIII. Ex quo etiam destruitur quod dicitur de partialitate concursus, seu de partiali activitate, quia omne agens partiale respectu alicujus effectus debet vel producere solum partem effectus, sicut cum duo portant lapidem, quilibet producit partem impulsus qui in determinata parte lapidis subjectatur, non in toto, vel oportet quod utrumque agens partiale uniatur in una virtute a quo totus ille effectus integre emittatur, sicut pater et mater uniuntur, et miscentur in una seminali materia et virtute, quæ fœtum ela-

borat. Primo modo non potest intelligi quod procedat pars visionis ab intellectu et pars ab extrinseca Dei virtute, quia indivisibiliter totus ille actus vitalis est, et vitaliter egreditur a potentia, etiam quoad supernaturalitatem quam habet, alioquin si ut supernaturalis est non egrederetur a potentia, intellectus non eliceret visionem illam ut beatifica est, et ut est Dei in se, sicut modo dicebamus, quia prout sic supernaturalis est, et consequenter intellectus non diceretur videre Deum, et vivere vita æterna, quia ille actus prout vitalis vitalitate æterna et supernaturali, et non ab eo procederet, sed a principio extrinsecus assistente, non a virtute ipsius intellectus. Secundo vero modo clarum est, quod ex intellectu a Deo extrinsecus assistente non potest fieri una virtus a qua procedat ille actus unico et vitali partu, quia alias Deus ut formalis causa constitutiva virtutis concurreret, et immutaretur si se commisceretur, et fieret unum cum intellectu. Oportet ergo quod aliqua virtus Dei illi impressa commisceatur seu informet et elevet illum, et sine tali virtute (quam lumen gloriæ appellamus) non poterit actus supernaturalis vitali partu egredi, ut supernaturalis est ab intellectu. Ut omittam, quod ubi agens est partiale, et per modum partialis virtutis respicit aliquem actum vel effectum, etiam petit connaturaliter alterum agens partiale sibi ad jungi, quia omnis pars ex natura sua respicit aliquam partem, cum qua unum fiat ad operandum, et sic intellectus per potentiam obedientialem respiceret naturaliter aliud partiale agens, scilicet supernaturale seu Deum ut supernaturalem auctorem, et sic non obedientialiter et elevabiliter respiceret illum si connaturaliter et ut partiale agens. Ac denique, quia ut par-

tiale agens vel respicit positive et proxime, licet partialiter, illum actum et secundum partialem virtutem proportionatam, et ejusdem ordinis, vel non. Si non, ergo non est agens partiale, sed elevabile, seu habens capacitatem ut elevetur et accipiat facultatem ad influendum, et sic ante elevationem caret facultate influxiva et proportionata etiam partiali, si quidem solum habet capacitatem et elevabilitatem, capacitas autem et elevabilitas non influit, nec est facultas influendi etiam partialis, quousque elevetur. Si vero habet virtutem partialem influxivam et ejusdem ordinis cum actu, non solum est capacitas elevabilis, sed virtus elevata licet partialis, et consequenter supernaturalis, et sic potentia obedientialis esset aliquid positive supernaturale congenitum nobis a natura, quod est impossibile.

XIV. Dices: Potentiam illam dici partialiter influxivam, et activam obedientialiter, quia quantum ad id quod vitalitas est influit in actum supernaturalem, quoad id vero quod supernaturalitatis est influit ex virtute Dei extrinsecus assistente, licet non imprimat aliquid in intellectu. Sed hoc jam ex dictis manet exclusum, quia etiam ille actus ut supernaturalis est pendet ab intellectu, et oritur ab illo, si quidem etiam in quantum supernaturalis, est partus intellectus, et efficienter est ab illo, alias si efficienter non esset ut supernaturalis est ab illo, non redderet intellectum videntem Deum, et beatum, quia illa visio solum beatificat in quantum supernaturalis. Neque in illo actu invenitur aliquid naturalis ordinis, et aliquid supernaturalis, sed totus in sua specifica, et essentiali ratione est ordinis naturalis etiam in quantum vitalis, ut supra articulo secundo probavimus, si quidem est vitalis vita æterna, in-

hac enim consistit beatitudo, vitalitas autem æterna non est ordinis naturalis, ergo non habet intellectus concursus partialem, qui non sit elevatus, et procedat a lumine gloriæ, ut a ratione elevante, et a potentia vitali ut elevabili. Videantur quæ diximus supra articulo secundo ubi latius ostendimus, quomodo potentia intellectiva dicatur activa radicaliter respectu actuum supernaturalium, non autem activa proxime, et proportionate.

XV. Contra quartam denique responsionem supra in articulo secundo satis ostendimus potentiam intellectivam non posse se habere instrumentaliter respectu actus vitalis supernaturalis, quem elicit, sumendo instrumentum proprie, et rigorose prout contraponitur causæ principali, sic enim habent oppositas condiciones, quia instrumentum sic sumptum est illud quod operatur ut pure motum: ita quod tota ratio operandi sit esse motum ab alio præcise, et tamquam illi ministrans, non autem ut assimilans sibi effectum. Causa autem principalis vitalis est illa quæ operatur movendo se, et assimilans sibi effectum. Si vero instrumentum non sumatur in tota hac proprietate, et rigore, sed pro eo quod operatur per virtutem participatam ab alio, licet movendo se, et assimilando sibi effectum, jam supponi debet virtus participata, et elevans, et hæc non potest suppleri per extrinsecam Dei assistentiam sine impressione alicujus virtutis in ipsa causa propter rationes hucusque allatas, quia actus ille ut supernaturalis debet oriri, e visceribus ipsius potentiæ, utpote supernaturalis vitaliter in sua specifica, et intrinseca ratione, et sic debet supponere in ipsis visceribus potentiæ, seu in ejus intrinseca entitate impressam virtutem, quæ det facultatem eliciendi et operandi il-

lum actum, ne alias dicatur potentia operari sine facultate, quod est idem quod operari actu, et ex suis extrinsecis visceribus emittere operationem, et non posse operari absolute, quia operatur ab intrinseco, et caret facultate ab intrinseco. Unde D. Thomasetiam in instrumentis, quæ propriæ sunt instrumenta agnoscit virtutem communicatam ipsis instrumentis, quæ sit virtus creata, ut patet III p. quæst. LXII, art. II, et quæst. LXXVIII, artic. IV, et nos ostendimus quæst. XXVI physicorum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVI. Primo, arguitur ex aliquibus locis D. Thomæ, nam 2-2, q. CLXXV, art. III ad II, et in IV, dist. XLIX, q. II, art. VII, dicit posse videri Deum sine lumine gloriæ. Et quæstione X de ver. apertius dicit: « Quod sicut potest Deus perducere aliqua corpora ad effectus, quorum dispositio in prædictis corporibus non invenitur, sicut fecit Petrum super aquas ambulare, sine hoc quod ei dotem agilitatis tribueret, ita potest mentem ad hoc perducere, ut divinæ essentiæ uniatur in statu viæ modo illo quo unitur sibi in patria, sine hoc quod a lumine gloriæ perfundatur. » Ergo sentit D. Thomas de potentia absoluta non esse necessarium lumen gloriæ ad videndum Deum, sicut nec dos agilitatis ad ambulandum super aquas.

XVII. Respondetur D. Thomam loqui de lumine gloriæ dato per modum habitualis status et permanentiæ, quando docet posse sine ipso videri divinam essentiam, non tamen debere excludi lumen gloriæ saltem per modum transeuntis, ut expresse explicat loco citato ex 2-2, ut jam supra ponderavimus. Et eodem modo loquitur in loco citato ex

IV sententiarum, ubi solum docet: « Posse manifestari divinam essentiam et elevari intellectum ad videndum Deum in statu viæ, non habendo nisi statum viæ. » Quod verissimum est, quia non amittitur status viæ per illam visionem, et lumen per modum transeuntis datum, si quidem non accipit statum patriæ et permanentiæ habitualis in visione gloriæ. Et in citato loco ex quæstione X de veritate loquitur clare de lumine gloriæ per modum status habitualis, quia comparat illud doti agilitatis, sine quo dicit Petrum ambulasse: constat autem quod dos nominat agilitatem, non quomodo-cumque, sed habitualiter datam corporibus gloriosis, ut communiter docent theologi, et D. Thomas in additionibus, quæst. xcv, et III p. quæst. XLV, artic. II. Unde super II ad Corinth. XII, lect. I, inquit idem D. Thomas: « Quod Paulus habuit in raptu lumen gloriæ per modum transeuntis, et non habuit dotem gloriæ, cum illa claritas non fuerit effecta proprietas. » Solum ergo negat Div. Thomas non esse necessarium lumen gloriæ per modum habitualis status, et permanentiæ, sicut dabitur in patria.

XVIII. Nec obstat, quod lumen gloriæ elevat intellectum ad intelligendum, non juxta modum ipsius subjecti, nec utendo speciebus consuetis, sicut facit fides, ideoque non videtur requirere habitum a quo procedat, sed esse supernaturale quoad substantiam, id est, ultra modum ipsius substantiæ seu subjecti qui se non accommodat, sed ad se rapit lumen gloriæ, et ad tales actus supernaturales, non datur habitus in nobis juxta regulam D. Thomæ 2-2, q. CLXXI, ar. II, supra a nobis explicatam articulo tertio. Sed respondetur quod lumen gloriæ, licet elevet intellectum ultra omnem modum cognoscendi etiam ex speciebus et re-

præsentationibus creaturarum, in quo excedit fidem, tamen alio modo subjecto se accommodat, tum quia elevat intellectum, ut per modum causæ vitalis, et principalis operetur, tum quia elevat ad cognoscendum Deum, in res in Deo, eo modo quo prima principia cognoscuntur, et res in suis principiis, quod exigit lumen permanens et habituale, non sicut prophetia, quæ cum non cognoscat res prophetatas in suis principiis, id est, in essentia divina, non permanenter cognoscit, sed dependenter ab actuali illustratione.

XIX. Secundo, arguitur argumento, quo isti auctores convincuntur, quia licet Deus non possit supplere effectum formalem luminis per solam intrinsicam suam assistentiam, ut quod dicatur intellectus illuminatus sine lumine, potest tamen supplere effectum illius in genere causæ efficientis, quia se solo potest Deus facere quidquid potest cum causa secunda, ergo bene poterit se solo supplere influxum effectivum luminis in visionem, sicut in calore, licet non possit Deus se solo supplere, quod lignum reddatur calidum, tamen quod producat calorem, potest Deus supplere se solo. Et confirmatur, quia in hoc non suppletur aliquis effectus formalis, sed effectus qui efficienter esse debebat a forma, sit a Deo efficienter sine forma, effectibus enim formalis luminis non est reddere videntem, sed reddere illuminatum et confortatum ad efficiendam visionem, ergo subtracto lumine, non redditur quidem illuminatus, reddi tamen potest efficiens illam visionem.

XX. Respondetur quod ut jam supra insinuavimus, magna in hoc latet æquivocatio. Licet enim Deus possit se solo efficere effectum quem facit cum causa secunda, non tamen

se solo efficere, ut effectus aliquis dicatur esse effectus talis causæ, et ab ea procedere si causa non habeat facultatem, et vim ad emittendum ex se effectum. Nec sufficit quod habeat eam extrinsece, quia effectus non procedit ab eo quod est extra causam, id est, ab intimis causæ. Et dato quod procederet ad illo non posset ab eo quod extra se est, causa denominari operans, si a se effectus non exit, sed a virtute quæ est extra se. Itaque etiam in hoc aliquid causæ formalis intervenit, nempe quod causa denominetur causare et operari si non exeat a se effectus seu actus, sed a virtute extrinseca sibi, et in alio extra se existente, vel si sine virtute et facultate, quam in se habeat, dicatur producere de facto, cum sit consequentia formalissima quod si actu causat potest causare, et si potest, facultatem potestatemque habeat proximam et immediatam; si quidem de facto immediate causat. Si autem intellectus habet facultatem proximam, ita quod sine illa implicat producere visionem, illa facultas debet esse proportionata, alias non esset proxima ad operandum actum, si ad illum proportionata non esset, et consequenter debet esse supernaturalis, quia visio supernaturalis est, et talis facultas est lumen gloriæ sive habitualiter sive per modum transeuntis detur.

XXI. Ad confirmationem respondetur intervenire hic aliquem effectum formalem ut dictum est, quem Deus se solo supplere non potest, non enim solum supplet Deus id quod pure effectivum est, videlicet ut effectus ille fiat absolute in rerum natura a solo Deo, sed etiam id quod formale, scilicet ut ille effectus sit effectus non solius Dei, sed etiam causæ creatæ, et sic supponat in ea facultatem et virtutem proportionatam et proximam ut exire possit ab ea, et de fac-

to exeat. Et licet visio ipsa effective exeat a lumine et ab intellectu, tamen formaliter constituitur intellectus causa talis visionis per hoc, quod habeat in se virtutem proportionatam ad videndum, et illa reducat et exeat in actum. Unde hæc denominatio causæ, quæ formalis est, non potest supplere a Deo, quod scilicet denominet causam, non exeundo ab ipsa et ab ejus virtute, sed ab extrinseca assistentia Dei. Nec potest suppleri quod exeat de facto a tali causa nisi supponendo in causa facultatem et virtutem ut possit exire.

XXII. Tertio, arguitur nam in sententia probabili multorum Thomistarum, et quæ videtur D. Thomas in II, dist. XXVIII, q. I, art. III ad II, actus charitatis aut contritionis vel virtutis infusæ potest procedere a solo auxilio sine habitu in instanti justificationis aut dum disponitur ad justificationem, aut etiam in peccatore potest dari aliquis actus virtutis infusæ, non ex habitu quem non habet, isti enim simul cum charitate aut ponuntur aut intereunt, sed ex auxilio, quod utique non prius recipitur in potentia, aut actualitatem, sed identificatur cum actu tamquam quid transiens cum illo: ergo similiter poterit actus visionis procedere ab auxilio, et non ab habitu recepto in intellectu. Confirmatur, quia ex eo quod Deus suppleat efficientiam luminis suo concursu, non tollitur quin potentia producat suum conatum et attentionem erga talem actum, ergo manet quidquid requiritur ad rationem actus vitalis, et procedentis ab intrinseco potentiæ. Confirmatur secundo, quia Deus potest per se ipsum supplere vicem speciei impressæ, ergo etiam poterit supplere concursum luminis gloriæ si quidem non minus venit ab extrinseco lumine gloriæ, quam species, ergo non est magis vitalis ejus in-